

internam, et extrinsecam non admittat, aut quæ profunditatem reiiciat. Hæc enim omnia quamvis in corpore suas teneant sedes, attamen corpus non sunt, nec habent cum corpore resistantiam ullam, per totum permeant corpus. Quod si anima, et vita faciunt, quæ universum corpus intus, et extra se ipsis implent. Multo ergo magis, et facere possunt, et faciunt, ea quæ, et vita, et anima sunt diviniora, mentes; vitæ, essentiæ; unitates sive ideæ. Spiritus ipse sanctus, qui sua essentia universum implet. Ipse filius, per quem omnia, et qui operatur omnia in omnibus. Et in quo condita sunt universa et in eo constant. Et Deus ipse pater, ex quo omnia.

Concludendum igitur est verissime, Deum et universam divinitatem, quia immaterialis, incorporea que sit, nullam a corporibus, aut materia pati resistantiam. Atque ideo verissimum esse, eam esse ubique ipso sui esse, ipsa sui potentia; ipsa sui operatione, et omnia tum efficere potuisse, tum effecisse, quæcumque et in terra et in universis elementis, et in cœlis, et supra cœlos, sunt, et visibilia, et invisibilia. Et omnia vivificare in omnibus, et omnia operari. Igitur Deus, modis hisce est ubique. Non autem, ut Aristoteles voluit, tantum alicubi, supra cœli culmen et extra cœlum. Et est etiam nullibi, quia nullibi est affixus, nullibi locatus. Sed per omnia means, ab omnibus est segregatus, et ab omnibus seiunctus, in suæ dignitatis, et supereminentiæ abysso, se se a nostris sensibus, a nostris etiam cogitationibus, in altum rapuit.

*FINIS VIGESIMI LIBRI.*